

vel ad definitionem hujus alia potentia resultaret vera, et realis, aut nulla; si esset alia vera, et realis de illa procedit argumentum, quod distingueretur tamquam ens verum, et propter defectum hujus creaturæ: si esset nulla potentia, et penitus resolveretur in nihil ista, quæ de facto est, adhuc est idem argumentum: Per quid, vel per cujus defectum amisit esse, si propter defectum hujus creaturæ, ut supponitur; ergo hæc creatura pertinet ad veram existentiam hujus potentiæ: restat ergo respondere quare qui hanc potentiam quidditative videt, non cognoscit creaturam si hæc qua resolvitur in nihilum potentia.

LXI. Respondetur igitur (missa hac solutione) quod illa propositio est falsa: Qui videt quidditative hanc omnipotentiam debet illam videre ut hanc; vel distinguenda est; si ly ut sumatur specificative, concedo; si reduplicative supra radicem distinctionis, nego. Ad probationem concedo, quod beatus formet iudicium, quod hæc omnipotentia non est illa, quæ esset in tali casu; sed nego, quod ad hoc iudicium sit necesse cognoscere creaturam penes quam sit distinctio. Quod patet, quia nos in via formamus ideo iudicium solum propter fidem, vel theologiam, et dicimus, quod hæc potentia, quam credimus, non esset illa alia, quæ deficiente creatura possibili esset; sufficit ergo ad cognitionem quidditativam hujus potentiæ cognoscere absolute, seu specificative illam, quamvis non penetretur totaliter ejus virtus, ut explicatum est.

LXII. Pro cujus majori evidentia notandum, quod hæc omnipotentia æqualiter desineret esse si deficeret hæc creatura, aut alia, vel alia, et sic de singulis possibilibus, quia eadem est ratio de omnibus, et similiter illæ potentiæ inters e dis-

tinguerentur. Itaque tot omnipotentia essent distinctæ inter se, et ab ista, quæ modo est, quot creaturæ possibles deficerent, et cum creaturæ possibles sint infinitæ synkategorematicæ, ita in infinitum posset poni conditionalis: Si ista, vel ista, etc. deficeret in infinitum, alia, et alia potentia esset. Ex quo patet, quod si esset necessarium cognoscere hanc potentiam ut hanc, hoc est, ut distinctam ab illa, quæ esset deficiente hac creatura possibili, similiter esset necessarium cognoscere illam ut distinctam ab omnibus aliis infinitis potentiis, quæ essent, si singulæ possibles creaturæ deficerent; et sicut inferitur, quod deberet cognoscere hanc creaturam possibilem, similiter inferitur, quod deberet cognoscere infinitas creaturas possibles propter eandem rationem, et cum finita cognitio hoc non possit, ut patet ex dictis, constat quod vis argumenti deficit.

LXIII. Supponit enim, quod visio est finita, et creata, et intendit quod cognoscat infinita inæqualia in perfectione, et cognoscibilitate, quia probando de una creatura, ut distinctiva, probat similiter de omnibus possibilibus. Præterea involvit aliam falsitatem, quia supponit, quod videns hanc omnipotentiam cognoscit omnia alia possible, in quibus hæc omnipotentia conveniret cum alia, si deficeret hæc sola creatura possibilis, assignata, verbi gratia, hæc formica, penes quam solum distinguerentur, quod tamen est falsum, imo et impossibile, quia illæ sunt innumeræ creaturæ, et prope infinitæ, et finita, et limitata cognitio non potest illas attingere.

LXIV. Et si dicatur, quod hoc non supponit, deficit argumentum a principio, quia a principio intendebat, quod cognoscebantur omnes creaturæ possibles, ut probaret,

quod non sequitur comprehensio ex illarum cognitione, et ad hoc utebatur hoc medio, quod solum ista creatura deficeret, et conatur probare, quod debebat illam cognoscere propter connexionem, quia deficiente illa, deficeret potentia: unde constat, quod supponit, quod omnia alia possible cognoscebantur.

## ARTICULUS III.

*Qua ratione anima Christi omnia futura cognoscat in Verbo?*

I. Duas difficultates involvit hic articulus scitu dignas, altera est, ut ponderemus rationem D. Thomæ in articulo secundo, assignantis animæ Christi visionem omnium futurorum in Verbo, eo quod quilibet beatus videt ea in essentia divina, quæ pertinent ad suum statum; hæc enim causalis vulgarem illam, sed non levem continet difficultatem, quomodo pertineat ad visionem cujuslibet beati ea videre in Verbo, quæ pertinent ad suum statum, cum possint pertinere ad statum inferioris beati plura, quam ad statum superioris; unde sequitur, quod inferior beatus plura videat in Verbo, quam superior, quod est esse magis beatum.

II. Altera difficultas est, qua ratione lumen gloriæ habeat manifestare futura, quæ pendent ex libero decreto Dei; decreta autem libera non possunt cognosci ex vi penetrationis essentiæ divinæ, ut quidditas, et virtus effectiva est, sicut neque ex penetratione alicujus creaturæ rationalis videri possunt cogitationes cordis; sed indiget aliqua revelatione speciali, qua Deus manifestet beato suam voluntatem: unde difficile est explicare, quid datur lumini gloriæ, vel quid requiratur, ut ex vi

visionis videantur libera decreta Dei, et communiter res futuræ.

III. Circa primam difficultatem duplex est sententia, et multiplex explicatio. Prima sententia est beatos videre in Verbo ea, quæ pertinent ad suum statum in sensu causalis, non formali, id est, non videre ipsam formalem visionem Dei in Verbo, sed ex illa visione causari talem cognitionem, eo quod ex vi visionis illius debetur beato, ut fiant ei revelationes extra Verbum de his, quæ pertinent ad suum statum, unde potest illa cognoscere successive, quia possunt in diversis temporibus fieri istæ revelationes, neque est necesse, quod a principio omnia ei revelentur. Quæ sententia habet duplicem limitationem, aliam a Cajetano hic articulo II; aliam a patre Suarez hic disp. xxvi, sectione III.

IV. Cajetanus asserit, quod omnia, quæ pertinent ad statum beati pro eo tempore, quo illi confertur beatitudo, videt formaliter in Verbo; quæ vero deinceps successura sunt solum per revelationes extra Verbum cognoscit; quæ tamen ex vi visionis beatificæ eis debentur dicuntur videri per visionem beatificam causaliter, non formaliter.

V. Pater Suarez inquit, quod beati ex vi visionis formaliter in Verbo vident omnia, quæ pertinent ad suum statum in ea quantitate, quæ correspondet lumini dato ex meritis suis, quod si ad videnda omnia illa, quæ ad suum statum pertinent, non sufficiat lumen datum ex meritis suis, non videbunt omnia formaliter, sed solum præcipua, reliqua vero causaliter: et quia Christus Dominus habet visionem divinam sine meritis titulo hæreditatis naturalis, et si ex meritis habuisset, adhuc illa perfectio, et multo major esset illa debita, si ad illam merita sua ordinasset, ideo per ipsam visionem Dei formalem videt omnia,

quæ ad suum statum pertinent, quæ sunt omnia, simpliciter.

VI. Secunda sententia est beatos videre ea, quæ ad suum statum pertinent ex vi visionis divinæ formaliter, et in ipso Verbo: unde communiter vident illa statim a principio suæ beatitudinis, quia in visione divina non potest dari aliqua mutatio, vel augmentum. Hanc sententiam communius sequuntur expositores D. Thomæ, et videri potest magister Medina hic, et Cabrera artic. II, disput. III: et sumitur ex ipso D. Thoma asserente beatos videre in Verbo orationes, quæ ad ipsos funduntur, ut patet in 22, quæst. LXXXIII, artic. IV ad secundum et tertium, et in IV, distinct. XXV, quæst. III, art. I, ubi postquam docuerat beatos videre in Verbo orationes in solutione ad ultimum distinguit de revelatione per visionem Verbi, vel alio quocumque modo, dicendo quod Deus per seipsum novit cogitationes cordis, alii vero Deo revelante per visionem Verbi, vel alio quocumque modo: ubi distinguit revelationem in Verbo ab ea, quæ alio quocumque modo sit, id est, extra Verbum: ergo signum est, quod quando in corpore articuli dixerat beatos videre in Verbo orationes sanctorum, loquebatur de visione formali Verbi, ut distinguitur ab aliis revelationibus.

VII. Et ratio D. Thomæ hoc convincit. Inquit enim, quod quia divina essentia est sufficiens medium cognoscendi omnia, quod patet ex hoc, quod Deus videndo suam essentiam omnia intuetur, non tamen sequitur, quod quicumque essentiam Dei videt, omnia cognoscat, sed solum, qui essentiam comprehendit: sicut nec principio aliquo cognito consequens est omnia cognosci, quæ ex principio consequuntur, nisi tota virtus principii comprehendatur; cum ergo animæ san-

ctorum non comprehendant divinam essentiam, non cognoscunt omnia, quæ per divinam essentiam cognosci possunt, sed unusquisque beatus, tantum de aliis rebus necessarium est ut in essentia divina videat, quantum perfectio beatitudinis requirit. Requirit autem perfectio beatitudinis ut homo habeat quidquid velit, si inordinate non vult, alioquin non haberet felicitatem, si aliquid illi deesset de his, quæ rationabiliter vult: sed justa voluntate quilibet vult, ut cognoscat ea, quæ ad ipsum pertinent; ergo ex his, quæ ad ipsum pertinent omnia cognoscit in Verbo, quia quicquid recta voluntate desiderat scire, ipsa beatitudine formali debet cognoscere, quia ipsa beatitudo est impletiva omnis justii desiderii, juxta illud Psalmi XX: *Desiderium animæ ejus tribuisti ei, et voluntate labiorum ejus non fraudasti eum.* Quæ ratio D. Thomæ pro captu hujus materiæ probabilissima, et convenientissima est, nec aliud principium habere possumus ad intelligendum, quid beati videant in Verbo, quam hoc, quod ponitur a D. Thoma. Nam si quid in Verbo vident ex his, quæ in Verbo manifestari possunt, maxime debet esse illud, quod rationabiliter aliquis desiderat videre, et scire tamquam ad se pertinens: sicut enim debet videre se ipsum in Verbo, sic etiam omnia, quæ ad seipsum pertinent, cum sint quasi aliquid sui.

VIII. Circa difficultatem autem, quæ obstat huic sententiæ, scilicet, quomodo possit beatus videre in essentia divina omnia, quæ ad se pertinent nisi ex vi penetrationis divinæ essentiæ, et consequenter si plura penetret, melius videbit Deum, quam ille ad cujus statum tam multa non spectant, et consequenter minus penetrabit de virtute essentiæ divinæ, quod est esse minus beatum,

varie respondent auctores, et inter se dissident: cæterum fere omnes uno, aut duobus modis solvunt hanc difficultatem.

IX. Quidam enim ad hoc præcipue intendunt, ut nunquam parificetur minus beatus cum magis beato, sed quantumcumque minus beatus videat plura pertinentia ad suum statum, tamen aliunde vincitur a magis beato, quia vel perfectiorem aliquam creaturam videt, quod est plus quam videre multa, quæ pertinent ad statum inferioris beati: vel si videt easdem creaturas in illis, videbit plures rationes, vel intensiori modo, et claritate, quam inferior beatus, unde semper facienda est recompensatio aliqua, ratione cujus, qui est magis beatus, perfectius videat, etsi non tam multa in numero videat, quam inferior beatus.

X. Alii vero ad hoc intendunt majorem, vel minorem beatitudinem non mensurari penes plura, vel pauciora objecta, quæ videntur, si illa plura videantur, quasi materialiter, et per accidens, sed ex pluribus quæ per se, et formaliter videntur secundum plures rationes intelligibiles, vel ex vi majoris luminis prout correspondent majoribus meritis; non autem quia videantur plura individua contenta sub aliquo genere viso in essentia divina propter communem rationem status beatifici, et conditionem tenentem se ex parte subjecti videntis, et postulantis, ut videantur illa, quæ pertinent ad ejus statum. Et ad istos duos modos reducuntur omnes alii, qui in hac parte multiplicantur ad expediendam istam difficultatem.

XI. Quare ex illorum explicatione majori sumenda est plena resolutio hujus difficultatis. Et dico, quod bene stat inferiorem beatum videre plura quantum ad numerum, et extensionem in divina essentia, quam superiorem beatum, et tamen alte-

rum perfectius videre divinam essentiam, quia vel videt perfectiorem effectum aliquem, qui petit majorem penetrationem causæ; vel in ejusdem effectibus, quos videt inferior beatus, videt superior plures rationes intelligibiles, et majorem participationem causæ, et penes hoc mensuratur major, vel minor beatitudo, non penes majorem numerum rerum, quæ videntur.

XII. Et in hac parte est advertenda alia differentia, quæ magnum habet pondus, nam plures creaturæ possunt cognosci in essentia divina quoad an est, et quantum ad quidditatem, nec tamen penetrari, et comprehendi quantum ad omnes rationes quas participant a Deo. Facilior autem, et minus occulta est cognitio rerum quoad an est, et quantum ad simplicem definitionem quidditatis, quam illa, quæ comprehendit totam quidditatem, et intrinsecas, ac latentes rationes cujuscumque effectus in sua causa. Et sic omnes beati vident totum hoc universum in Deo, et mysteria gratiæ, quæ crediderunt in via; non tamen penetrant æqualiter omnes rationes mysteriorum gratiæ, nec omnes rationes effectuum naturalium, unde Angeli inducuntur interrogantes Christum de mysterio incarnationis, et particularibus ejus rebus, quas ab ipso addiscunt, ut testatur S. Dionysius septimo capite cœlestis hierarchiæ.

XIII. Tota autem hæc doctrina optime confirmatur, et explicatur ex verbis D. Thomæ quæst. VIII de veritate, artic. IV, solutione ad primum, ubi sic inquit: «Ad primum dicendum, quod sicut magister dicit in secundo sententiarum cum dicitur, Angeli in Verbo vident omnia antequam fiant, hoc non intelligitur de omnibus Angelis, sed forte de superioribus, nec illi omnia etiam perfecte vident, sed forte in communi, et

quasiimplicite tantum aliqua sciunt. Vel dicendum, quod de una re cognoscibili possunt intelligi plures rationes, sicut de triangulo plures demonstrationes fiunt, et potest esse quod aliquis sciat triangulum quid est, qui nescit omnia, quæ de triangulo sciri possunt. Aliud igitur est scire omnes res, aliud autem scire omnia intelligibilia de rebus: satis autem probabile videtur, quod omnes videntes Deum per essentiam, omnes creaturas cognoscant secundum species suas ad minus, et hoc est, quod Isidorus dicit, quod sciunt in Verbo omnia antequam fiant, fieri enim rei est intelligibilis ratio; non autem oportet, quod Angelus sciens aliquam rem sciat omnes rationes intelligibiles de ipsa, et si forte sciat omnes proprietates naturales, quæ comprehensione essentiæ cognoscuntur, non tamen scit eam secundum omnes rationes, quibus substat ordini divinæ providentiæ qua una res ordinatur ad varios eventus, et de his rationibus inferioribus Angeli a superioribus, vel supremis illuminantur. Et hoc est, quod dicit Dionysius, quod superiores Angeli docent inferiores scibiles rationes rerum. » Ita D. Thomas.

XIV. Ex qua doctrina, quæ singularis est ad præsens punctum, dicimus unumquemque beatum ad rationem sui status solum postulare, quod videat omnia, quæ ad se pertinent, et hoc salvatur si videat illa, quoad an est, vel secundum simplicem quidditatem; non tamen necesse est, quod ea quæ ad se pertinent comprehensive videat, penetrando omnes rationes intelligibiles eorum, unde licet plura cognoscat etiam a principio suæ beatitudinis, quæ superior beatus non attingit, non sequitur, quod melius videat divinam essentiam, quam ille major beatus, quia licet pauciores creaturas videat, videt tamen in illis plu-

res rationes intelligibiles; magisque eas comprehendit, quam inferior beatus. Simpliciter autem perfectius est pauciores creaturas perfectiores videre, aut imperfectas perfectiori modo, plures rationes intelligibiles in eis penetrando, quam plures solum quoad an est, aut quoad simplicem quidditatem. Et hac ratione licet omnes beati videant in Deo mysteria fidei, quæ hic crediderunt, non tamen æquales sunt etiam in visione eorum mysteriorum, quia non æqualiter vident omnes rationes istorum mysteriorum, neque excellentiorem habent beatitudinem, quia tam excedentes effectus in Deo vident, quia vident ipsos quasi quoad an est, et secundum quod sunt in hoc universo, non tamen omnes comprehendunt perfecte omnes rationes intelligibiles talium mysteriorum, penes quod appetiatur major, vel minor beatitudo.

XV. Et sic manet explicata ratio causalis, quam assignat S. Thomas, quare anima Christi videat in Verbo omnia: pertinent enim ad statum suum, cum omnia subjecerit Deus sub pedibus ejus taliter, quod ut ait Apostolus ad Hebræos II: *Nihil dimisit non subjectum ei*; unde secundum quod omnia illi sunt subjecta perfecte, omnia perfecte videt, quod nulli alii intellectui creato convenit, quia ut ibi argumentatur Apostolus: *Non subjecit Angelis Deus orbem terræ futurum*, de quo loquitur; unde sicut nulli convenit habere subjectum orbem terræ sicut Christo, ita nulli convenit videre omnia sicut Christo.

XVI. Quod si dicas: Quia sic necesse est, quod anima Christi videat infinita in Verbo, si quidem videt omnia, quæ pertinent ad orbem terræ futurum, hoc est per totam æternitatem duraturum: supra autem diximus præcedenti articulo, quod

non possunt infinita videri per unam speciem; ergo.

XVII. Respondetur, nos non fuisse locutos ibi de visione in Verbo, sed extra Verbum; videntur autem infinita in Verbo quatenus continentur in ipso finito modo viso; infinita autem reducta ad unum, bene possunt videri. Ex parte etiam rei visæ videntur illa infinita, ut contenta in aliquo finito, scilicet, ut sunt effectus pertinentes ad universum, et in aliquo genere determinato contenti, scilicet in genere cogitationum, vel actionum per totam æternitatem succedentium.

XVIII. Ex quo fit, quod nec illa visio est infinita simpliciter, licet infinitas res attingat, sed solum secundum quid, eo modo quo res superioris ordinis dicitur infinita secundum quid, quia non perfectione superat infinita individua inferioris ordinis, ut notat Cajetanus hic articulo secundo. Nec obstat objectio patris Suarez hic disp. xxvi, sect. III, quod omnes visiones beatæ sunt ejusdem speciei, et ordinis, unde una non continet ea, quæ pertinent ad aliam, sicut res superioris ordinis, ea quæ sunt inferioris ordinis, et sic si una visio pervenit ad cognoscendum infinita in se, debet esse infinita.

XIX. Respondetur, quod licet una visio non sit superioris ordinis, quam alia formaliter, et quantum ad suam speciem, ex parte tamen divinæ essentiæ, quæ illi unitur in ratione speciei, habet æquivalenter esse superioris ordinis una visio respectu alterius, quantum ad hoc quod unitur essentia divina respectu unius visionis secundum aliquam eminentiam, et virtualitatem, secundum quam non unitur pro alia visione, et illa eminentia, et virtualitas continet omnia illa, quæ sub objecto per aliam visionem affecto continentur, etiam si infinita sunt:

et sic visio animæ Christi, quia attingit Deum ut finito modo visum, sub eminentia superiori, quam visionis aliorum beatorum, dicitur repræsentare infinita sub aliquo superiori contenta, quæ finito modo videntur.

XX. Circa secundam difficultatem qua quæritur unde habeat lumen gloriæ manifestare creaturas futuras, et existentes, supponenda est communis responsio, quod futura videntur in decreto libero Dei a quo pendent in quantum futura; possibilia autem videntur in penetratione virtutis, quatenus continet omnes effectus possibiles. Ex hoc autem nascitur difficultas proposita. Nam lumen gloriæ ex vi, et efficacia sua solum habet manifestare ea, quæ formaliter sunt in Deo, et pertinent ad ejus quidditatem, et virtutem; quæ vero pure libera sunt ex vi cognitionis quidditatis Dei non possunt penetrari, sicut neque ex cognitione quidditativa alicujus creaturæ intellectualis videntur actus liberi, et cogitationes cordis. Inde enim argumentatur Apostolus I ad Corinthios II, quod sicut nemo hominum novit, quæ sunt hominis, nisi spiritus hominis, qui in ipso est, ita ea, quæ Dei sunt nemo cognovit nisi spiritus Dei. Quare ex vi solius conditionis quidditativæ essentiæ divinæ, et penetrationis virtutis ejus non cognoscuntur liberi actus Dei, nisi ipse voluerit revelare. Hæc autem revelatio vel fit intra Verbum, vel extra: si extra Verbum, ruit fundamentum D. Thomæ, quod videat anima Christi in Verbo omnia præsentia, et futura: si intra Verbum, cum omnis revelatio fiat medio aliquo lumine, vel illud est lumen gloriæ, vel aliud: quod sit aliud non potest dici, quia sic ad videndum aliquid intra Deum penetratur aliud lumen gloriæ, quod est inauditum: si medio lumine gloriæ,